

PONTIFICIA COMMISSIO
CODICI IURIS CANONICI
RECOGNOSCENDO

COMMUNICATIONES

VOL. XII - N. 2

1980

COMMUNICATIONES

PONTIFICIA COMMISSIO CODICI IURIS
CANONICI RECOGNOSCENDO

PIAZZA PIO XII, 410 - 00193 ROMA

NUM. 2

DECEMBRI 1980

EX ACTIS IOANNIS PAULI PP. II

Allocutiones

- I. Ad participes IV Conventus Internationalis de Iure Canonico Friburgi
in Helvetia celebrati 203
- II. Ad Patres Synodales in Sacello Sixtino ad concludendum V Coetum
Generalem Synodi Episcoporum 208

EX ACTIS SYNODI EPISCOPORUM

- I. Relatio de opera Signaturae Apostolicae in causis matrimonialibus
pro tuenda familia 215
- II. Relatio Pontificiae Commissionis CIC recognoscendo:
1. De labore a Commissione peracto et peragendo 220
2. De iure Familiae in Schemate CIC 225

EX ACTIS SANCTAE SEDIS

Sacra Congregatio pro Doctrina Fidei

- Responsa ad proposita dubia 234

Pontificia Commissio Decretis Concilii Vaticani II interpretandis

- Responsa ad proposita dubia 235

ACTA COMMISSIONIS

Opera Consultorum in recognoscendis Schematibus canonum

- I. Coetus studiorum « De Populo Dei » 236
- II. Coetus studiorum « De Locis et de Temporibus sacris deque Cultu
divino » 319
- III. Coetus studiorum « De bonis Ecclesiae temporalibus » 388

DOCUMENTA

- I. De Indicibus operis Acta Synodalia S. Concilii Oecumenici Vaticani II . 436
- II. Disceptatio circa Relationem in Synodo Episcoporum habitam de opera
Signaturae Apostolicae 438
- III. Disceptatio circa Relationem in Synodo Episcoporum habitam de opera
Recognitionis Codicis Iuris Canonici 451
- IV. Certaminis Vaticani celebratio 456

- NOTITIAE 459

Can. 49 (novus)

Episcopi dioecesani peculiare suis dioecesibus seu locis dies festos aut dies paenitentiae possunt, per modum tantum actus, indicare.

— Hic canon translatus est tamquam § 2 canonis 42, uti supra dictum est.

SESSIO III

(diebus 28-31 ianuarii - 1 februarii 1980 habita)

Adunatio diei 28 ianuarii 1980

Praebetur Consultoribus schema canonum de diebus paenitentiae quod paratus est iuxta animadversiones quas Coetus in Sessione praecedenti protulit circa ipsam quaestionem.

En schema canonum:

Can. 48

Omnes christifideles, suo quisque modo, paenitentiam agere ex lege divina tenentur; ut vero cuncti communi quadam paenitentiae observatione inter se coniungantur, dies paenitentiales praescribuntur, in quibus christifideles speciali modo orationi vacant, opera pietatis et caritatis exercent, se ipsos abnegant, proprias obligationes fidelius adimplendo et praesertim ieiunium et abstinentiam, ad normam canonum qui sequuntur, observando.

Can. 48 bis

Dies et tempora paenitentialia in universa Ecclesia sunt singulae feriae sextae totius anni, nisi cum aliquo die festo inter sollemnitates recensito occurrunt, et tempus Quadragesimae.

Can. 48 ter

Abstinentia a carnis commestione, vel ab alio cibo iuxta Conferentiae Episcoporum praescripta, servantur singulis anni sextis feriis, qui sint dies paenitentiales; abstinentia vero et ieiunium feria quarta Cinerum et feria sexta in Passione et Morte Domini Nostri Iesu Christi.

Can. 48 quater

Lege abstinentiae tenentur qui decimum quartum aetatis annum expleverint; lege vero ieiunii adstringuntur omnes aetate maiores usque ad annum inceptum sexagesimum. Curent tamen animarum pastores et parentes ut etiam ii qui, ratione minoris aetatis ad legem ieiunii et abstinentiae non tenentur, ad genuinum paenitentiae sensum informentur.

Can. 48 quinquies

Episcoporum Conferentiae possunt pressius determinare observantiam ieiunii et abstinentiae necnon alias formas paenitentiae, praesertim opera caritatis et exercitationes pietatis, in totum vel ex parte pro abstinentia et ieiunio substituere.

Postquam textum canonum examinaverunt, Consultores suas sententias exprimunt de singulis canonibus.

De can. 48

— Est qui dubitat de opportunitate locutionis « se ipsos abnegant », quae attinet potius ad asceticam, dum indoles canonis requirit ut praecipiantur determinati actus paenitentiae. Alii Consultores autem volunt illa verba retinere.

— Consultor quidam suppressere vellet verbum « praesertim », ut non tributatur peculiaris valor paenitentialis ieiunio et abstinentiae. Alius Consultor vero censet verbum « praesertim » retineri posse quia de ieiunio et abstinentia datur peculiare praeceptum in canonibus sequentibus. His dictis, omnibus Consultoribus placet formula can. 48.

De can. 48 bis

— Consultor quidam crasim movet de locutione « tempus quadragesimale », quae etiam dies dominicos includit; iamvero oportet excludere dies dominicos a tempore paenitentiae. Etiam alii Consultores concordant ut dies dominici temporis quadragesimalis non habeantur ut dies paenitentiales.

Alius Consultor animadvertit in Const. Apost. « Paenitemini » tempus Quadragesimae in suo complexu designatum esse tamquam tempus paenitentiae et ideo opportunum videtur ut in praesenti canone

dicatur sensu generico, tamquam principium generale, dies et tempora paenitentialia esse singulas ferias sextas totius anni et tempus quadragesimae; in canone sequenti vero dicatur tales dies paenitentiae non haberi quando occurrunt cum aliquo die festo inter sollemnitates recensito.

Cum haec propositio omnibus placeat, can. 48 bis ita redigitur: « Dies et tempora paenitentialia in universa Ecclesia sunt singulae feriae sextae totius anni et tempus quadragesimae ».

De can. 48 ter

Consultores, collatis consiliis, ita formulam mutant: « Abstinencia ... servetur singulis anni sextis feriis, nisi cum aliquo die inter sollemnitates recensito occurrunt; abstinencia vero ... ».

De can. 48 quater

Formula canonis omnibus Consultoribus placet.

De can. 48 quinquies

— Consultor quidam suppressere vellet verba « pressius determinare », ita ut de tali determinatione provideatur in theologia morali. Alii Consultores vero volunt illa verba retinere, quia ipsa denotant facultatem Conferentiae accomodandi disciplinam paenitentialem moribus et exigentiis singularum regionum.

— Unus Consultor proponit ut dicatur « commutare » loco « substituere », ita ut christifidelibus detur optio observandi ieiunium et abstinentiam etiamsi Episcoporum Conferentia alias formas paenitentiae pro sua regione determinaverit. Alter Consultor vero dicit verbum « substituere » consulto adhibitum fuisse, ita ut ratio habeatur in singulis regionibus de moribus et de circumstantiis, ob quae Episcoporum Conferentiae censeant alias formas paenitentiae in illa regione maiorem valorem paenitentialem habere quam ieiunium et abstinentiam.

His dictis, omnibus Consultoribus placet ut canon retineatur uti est.

SECTIO III DE CULTU DIVINO

Fere omnes animadversiones ab Organis consultationis factae circa rubricam huius Sectionis necnon circa cann. 50-53 Schematis iam solutionem substantialiter habuerunt, eo quod nostra Commissio interim canones quosdam generales de cultu divino redegit¹, qui poni debent in initio totius libri IV « De Ecclesiae munere sanctificandi » et in quos confluere debent praecipua qua in cann. 50-53 schematis continentur.

Consultores prae oculis habent sive textum illorum canonum generalium de cultu divino sive textum cann. 50-53 schematis, et totam materiam fusius examinant ad redigendum unicum novum schema.

¹ En textus canonum:

Can. 1

Munus sanctificandi Ecclesia praesertim adimplet sacra Liturgia, quae quidem habetur in Iesu Christi muneris sacerdotalis exercitatio, in qua per signa sensibilia significatur ac modo singulis proprio efficitur hominum sanctificatio atque a mystico Iesu Christi Corpore, Capite nempe et membris, integer cultus Dei publicus exercetur (Const. Sacrosanctum Concilium, n. 7).

Can. 2

Cum cultus Novi Testamenti, in quo sacerdotium commune christifidelium exercetur, opus sit quod a fide procedat et eadem innitatur, ministri sacri eandem excitare et illustrare sedulo curent, ministerio praesertim verbi, quo fides nascitur et nutritur (Const. Sacrosanctum Concilium, nn. 9 et 10; Decr. Presbyterorum Ordinis, n. 5).

Can. 3

§ 1. Actiones liturgicae non sunt actiones privatae, sed celebrationes Ecclesiae ipsius, quae est « unitatis sacramentum », scilicet plebs sancta sub Episcopis adunata et ordinata; quare ad universum corpus Ecclesiae pertinent illudque manifestant et afficiunt; singula vero membra ipsius diverso modo, pro diversitate ordinum, munerum et et actualis participationis, attingunt (Const. Sacrosanctum Concilium, n. 26).

§ 2. Actiones liturgicae, quatenus attenta earum propria natura celebrationem communem secumferant, ubi id fieri possit, cum frequentia et actuosa participatione christifidelium celebrentur (Const. Sacrosanctum Concilium, n. 27).

Can. 4

Supremae Ecclesiae auctoritatis atque ad normam iuris Episcopi dioecesani et, intra limites iure definitos, Episcoporum Conferentiae solummodo est sacram Liturgiam moderari.

Can. 50 (CIC 1256)

Cultus, si deferatur nomine Ecclesiae a personis legitime ad hoc deputatis et per actus ex Ecclesiae institutione exhibendos, dicitur publicus; si minus, privatus.

Consultores censent hunc canonem componendum esse cum can. 1 generali et ideo collatis consiliis, ita can. 1 redigunt:

« § 1. Sacra Liturgia, quae quidem habetur ut Iesu Christi muneris sacerdotalis exercitatio, in qua per signa sensibilia significatur ac modo singulis proprio efficitur hominum sanctificatio atque a mystico Iesu Christi corpore, Capite nempe et membris, integer Cultus Dei publicus exercetur.

§ 2. Huiusmodi cultus habetur cum defertur nomine Ecclesiae a personis legitime deputatis et per actus ab eadem Ecclesia probatos ».

— Deinde examinatur textus can. 2 generalis. Consultor quidam censet aliquam aequivocationem ingeri posse per verba « Cum cultus *Novi Testamenti* in quo ... », quasi per ipsa innuatur quaestio de oppositione inter “fidem” et “religionem”. Consultores concordant ut dicatur: « Cum cultus *christianus* in quo ... ».

— De textu can. 3 generalis Consultores nullam animadversionem habent.

Adunatio diei 29 ianuarii 1980

Can. 51 (CIC 1257)

Apostolicae Sedis est liturgiam ordinare, libros liturgicos necnon eius versiones approbare; idem ius competit Episcopis eorumque coetibus intra limites vero propriae competentiae. Quapropter nemo omnino alius, etiamsi sit sacerdos, quidquam proprio Marte in liturgiam addat, demat, aut mutet.

Hic canon componi debet cum can. 4 generali. Consultores prae oculis habent animadversiones factas ab Organismo consultationis circa hunc canonem. Suggestum est enim ut melius definiatur competentia Episcoporum Conferentiae et competentia ipsius Episcopi dioecesanii circa ordinationem sacrae liturgiae.

Consultor quidam animadvertit aliam partem can. 51 (« Quapropter nemo omnino alius ... ») esse superfluum, quia eadem norma iam habetur in can. 6 de Sacramentis.

Quoad novam redactionem canonis Consultores concordant ut ipse canon evolvatur per plures §§: in § 1 statui debet de exclusiva competentia auctoritatis ecclesiasticae moderandi sacram liturgiam; in § 2 agi debet de potestate S. Sedis; in § 3 agi debet de facultatibus Episcoporum Conferentiae; in § 4 agi debet de facultate Episcopi dioecesanii.

— Consultoribus placet formula mutuata ex Const. Sacrosanctum Concilium, n. 22, pro redactione § 1, quae ita erit: « Sacrae liturgiae moderatio ab Ecclesiae auctoritate unice pendet: quae quidem est apud Apostolicam Sedem et, ad normam iuris, apud Episcopum ».

— Quoad formulam § 2 Consultor quidam proponit ut recipiatur textus sequens, quem paravit aliquod Organum consultationis, scilicet: « Apostolicae Sedis est sacram liturgiam Ecclesiae universae ordinare, libros liturgicos edere eorumque versiones in linguas vernaculas approbare necnon advigilare ut ordinationes liturgicae ubique fideliter observentur ».

Textus in genere placet, sed aliqua quaestio habetur inter Consultores an dici debeat « recognoscere » loco « approbare ». In recentibus documentis S. Sedis enim adhibita est generatim locutio « recognoscere seu approbare », sed Consultores concordant circa opportunitatem auferendi omne dubium, adhibendo verbum « approbare ».

— Consultores formulam § 3 ita redigunt: « Ad Episcoporum Conferentias spectat versiones librorum liturgicorum in linguas vernaculas, convenienter intra limites in ipsis libris liturgicis definitos aptatas, parare easque edere, praevia approbatione S. Sedis ».

— Consultor quidam proponit ut § 4 ita redigatur: « Episcopus dioecesanus in Ecclesia sibi commissa moderator promotor et custos totius vitae liturgicae est; ad eumque pertinet, intra limites suae competentiae, normas dare, quibus omnes tenentur ».

Alius Consultor vellet in lucem ponere munus Episcopi non solum uti legislator circa liturgiam sed etiam uti primus minister cultus in propria Ecclesia. Tertius Consultor censet hanc declarationem non esse necessariam, quia passim in toto Libro IV sermo fit de tali ministerio Episcopi.

His dictis, formula omnibus Consultoribus placet.

Can. 52 (CIC 1258)

§ 1. *Firmis praescriptis canonum 2 et 5 (de Sacramentis), catholici, iusta de causa, adesse possunt cultui liturgico fratrum seiunctorum vel etiam in ipso aliquam partem habere, servatis tamen his quae ab Ordinario loci vel a Conferentia Episcopali statuta sint.*

§ 2. *Si fratribus seiunctis desunt loca in quibus caeremonias suas rite et digne celebrent, Ordinarius loci usum aedificii catholici vel coemeterii vel templi concedere potest, iuxta normas a Conferentia Episcopali statutas.*

— Plures conquesti sunt eo quod in praesenti canone normae nimis latae dentur sive circa communicationem in sacris, sive circa concessionem locorum sacrorum fratribus seiunctis.

Consultores prae oculis habent novum can. 4 de Sacramentis, ubi normae dantur de communicatione in sacris et censent illum canonem sufficere ad tuendam disciplinam in hac materia; quoad alias quaestiones, e.g. de concessione locorum sacrorum fratribus seiunctis, melius videtur ut Codex sileat, ita ut normae dentur a S. Sede secundum circumstantias temporum, uti factum est per Directorium Oecumenicum. Consultoribus ergo placet can. 52 suppressere.

Can. 53 (CIC 1259)

Curent locorum Ordinarii ut orationes et pia exercitia, ea praesertim quae in publico fidelium usu sint, normis Ecclesiae plene congruant.

— Suggestum est ut haec norma transferatur in canones de Populo Dei, qui agunt de munere sanctificandi Episcopi; sed Consultores praeferrunt ut norma transferatur in canones praeliminares Libri IV.

— Consultor quidam proponit ut expugantur e canone verba « ea praesertim quae in publico fidelium usu sint », ita ut in canone veniant etiam illae orationes et pia exercitia ex pietate populari orta.

Alius Consultor proponit ut canon ita redigatur: « Curent locorum Ordinarii ut orationes et pia exercitia populi christiani normis Ecclesiae plene congruant ». Haec formula omnibus Consultoribus placet.

TITULUS VII
DE CULTU SANCTORUM
SACRARUM IMAGINUM ET RELIQUIARUM

Can. 54 (CIC 1276)

Bonum atque utile est Dei Servos una cum Christo regnantes, suppliciter invocare eorumque reliquias atque imagines venerari; sed praeter ceteris filiali devotione Beatissimam Virginem Mariam fideles universi prosequantur.

— Suggestum est ut in rubrica huius tituli dicatur « de veneratione » loco « de cultu ». Propositio non placet Consultoribus quia in documentis Concilii Vat. II sermo fit de « cultu » sanctorum.

— Nonnulli animadverterunt circa opportunitatem praemittendi aliquem canonem de cultu debito Deo Uno et Trino, Christo Domino et SS.mae Eucharistiae (cf. can. 1255 § 1 CIC). Consultores respondent talem canonem non esse necessarium, attentis canonibus generalibus positus initio Libri IV.

— Suggestum est ut in canone dicatur « salutare » loco « utile ». Propositio placet omnibus Consultoribus, uno excepto.

— Plures suggesserunt ut addatur « *authenticas* » reliquias. Propositio omnibus Consultoribus placet.

— Ad innuendam notionem profundiores ac magis oecumenicam de cultu sanctorum, suggestum est ut canon ita compleatur: « ... cum Christo regnantes, *praesertim in celebrationibus liturgicis eorum, quae mirabilia Christi in servis suis praedicant*, suppliciter ... ». Suggestio non placet Consultoribus quia haec pertinent ad theologiam.

Can. 55 (CIC 1277)

§ 1. Cultu publico eos tantum Dei servos venerari licet, qui auctoritate Ecclesiae in album Sanctorum vel Beatorum relati sint.

§ 2. Servetur tamen distinctio a lege liturgica constituta inter cultum Sanctorum et Beatorum.

— Nonnullae suggestiones factae sunt circa § 2, quae attinent ad naturam distinctionis inter cultum Sanctorum et cultum Beatorum, an scilicet distinctio sit mere liturgica vel potius theologica. Item aliqui

petierunt ut clarificetur in quo consistat distinctio liturgica cultus Sanctorum et Beatorum. Consultores praeferunt ut § 2 maneat uti est, quia in praesenti aliqua evolutio habetur circa has quaestiones et non licet illas praeiudicare per assertiones certas ac definitas in Codice factas.

Can. 56 (CIC 1279)

§ 1. *Firma maneat praxis in ecclesiis sacras imagines fidelium venerationi proponendi; attamen moderato numero et congruo ordine exponantur, ne populo christiano admirationem inficiant, neve indulgeant devotioni minus rectae.*

§ 2. *Ordinarii loci ius et officium est curare ut imagines, fidelium venerationi expositae, normis § 1 congruant.*

— Consultor quidam proponit ut aliquid addatur in canone circa necessitatem conficiendi imagines quae sint arte decorae. Alii Consultores censent id statui non posse modo positivo; ad summum dici posset aliquid modo negativo, ut nempe imagines non sint dedecorae, quae tamen norma superflua videtur. Ceterum non raro magna devotione coluntur imagines, quae non eminent decore vel arte. Ideo Consultores praeferunt ut de hac re nihil addatur in canone.

— Aliquis Consultor proponit ut dicatur « neve devotioni minus rectae ansam praebeant », loco « neve indulgeant devotioni minus rectae ». Suggestio haec omnibus Consultoribus placet.

— Suggestum est ut § 2 deleatur, quia norma obvia videtur. Consultores concordant ut deleatur, quia in canonibus praeliminaribus Libri IV adest norma de munere Ordinarii moderandi vitam liturgicam in dioecesi.

Can. 57 (CIC 1280)

Imagines pretiosae, idest vetustate, arte, aut cultu praestantes, in ecclesiis vel oratoriis fidelium venerationi expositae, si quando reparatione indigeant, numquam restaurentur sine data scriptis licentia ab Ordinario; qui, antequam eam concedat, prudentes ac peritos viros consulat.

De hoc canone non factae sunt animadversiones.

Can. 58 (CIC 1281)

Insignes reliquiae aut imagines quae in aliqua ecclesia magna populi veneratione honorentur, nequeunt valide alienari neque in aliam ecclesiam perpetuo transferri sine Apostolicae Sedis permissu.

— Duo Consultores censent normam huius canonis esse nimis latam ita ut apta non videatur ad vitandos abusos. Ideo Consultores, collatis consiliis, ita formulam redigunt:

« § 1. Sacras reliquias vendere nefas est.

§ 2. Insignes reliquiae itemque aliae quae magna populi veneratione honorentur, nequeunt quoquo modo valide alienari neque perpetuo transferri sine Apostolicae Sedis licentia.

§ 3. Praescriptum § 2 valet etiam pro imaginibus quae in aliqua ecclesia magna populi veneratione honorentur ».

Adunatio diei 30 ianuarii 1980

TITULUS VIII

DE VOTO ET IUREIURANDO

CAPUT I

DE VOTO

Can. 59 (CIC 1307)

§ 1. *Votum, idest promissio deliberata ac libera Deo facta de bono possibili et meliore, ex virtute religionis impleri debet.*

§ 2. *Nisi iure prohibeantur, omnes congruenti rationis usu pollentes, sunt voti capaces.*

§ 3. *Votum metu gravi et iniusto emissum ipso iure nullum est.*

— Nonnulli censuerunt collocationem huiusmodi materiae, de voto nempe et iureiurando, in Sectione de Cultu divino aptam non esse, et ideo proposuerunt ut in Libro I De Normis Generalibus vel alibi collocetur.

Consultores talem animadversionem respuunt, quia in tota traditione votum et iusiurandum ut actus cultus habita sunt.

— Nonnulli petierunt ut melius definiatur votum. Item aliquis Consultor petit ut in definitione, de qua in can. 59 § 1, dicatur votum procedere ex virtute religionis non solum in sua impletione sed etiam in sua emissionem.

Consultoribus autem placet definitio voti quae habetur in Schemate quaeque traditionalis est.

— Nonnulli suggererunt ut in § 2 loquatur de sufficienti « discretionem iudicii » potius quam de « usu rationis ».

Suggestio non placet Consultoribus, quia in canone iam habentur elementa quae simul sumpta discretionem iudicii important: « promissio *deliberata ac libera* » et « *congruens rationis usus* », qui discretionem iudicii denotant.

Can. 60 (CIC 1308)

§ 1. *Votum est publicum, si nomine Ecclesiae a legitimo Superiore ecclesiastico acceptetur, secus privatum.*

§ 2. *Sollemne, si ab Ecclesia uti tale fuerit agnitum; secus, simplex.*

§ 3. *Reservatum, cuius dispensationem sola Sedes Apostolica concedere potest.*

§ 4. *Personale, quo actio voventis promittitur; reale, quo promittitur res aliqua; mixtum, quod personalis et realis naturam participat.*

— De sententia quorundam Organorum consultationis distinctio de qua in § 1 non respondet amplius realitati hodiernae; Ecclesia enim agnoscit etiam vota Societatum in communi viventium et Institutorum Saecularium, quae non sunt vota *publica* sensu traditionali, quaeque tamen nec *privata* considerari possunt. Ideo oporteret divisionem tripartitam invenire ad omnes species votorum designandas.

Exc.mus Secretarius etiam mentem Coetus de Institutis vitae consecratae referens, censet quaestionem non ita maturam esse ut nova terminologia adhiberi possit. Quaestio enim inter auctores habetur circa publicitatem votorum in Institutis Saecularibus emissorum: sunt qui illa vota uti publica censent quia habent quamdam officialitatem in Ecclesia; sunt vero qui illa vota uti privata censent quia non acceptantur

nomine Ecclesiae. Etiam alii Consultores censent quaestionem non esse maturam ut nova terminologia adhiberi possit.

— Suggestum est ut ex § 1 expungatur verbum « ecclesiastico » quod superfluum videtur, quodque non convenit superioribus religiosis. Propositio Consultoribus placet.

— Cum in Schemate canonum de Institutis vitae consecratae suppressa fuerit distinctio inter votum sollemne et votum simplex, nonnulla Organa consultationis petierunt ut § 2 huius canonis deleatur.

Consultor quidam respondet hanc distinctionem supprimi non posse quia ipsa distinctio, etiamsi non habeatur in iure communi religiosorum, haberi poterit in ipsorum iure particulari. Ceterum, addit alius Consultor, distinctio habet fundamentum aliquod theologicum et ideo servari debet. Etiam alii Consultores concordant ut retineatur § 2.

— Suggestum est ut § 3 deleatur, quia de dispensatione votorum normae dantur de facto in appositis canonibus, scilicet in sequenti can. 64 quoad vota privata et in iure Institutorum vitae consecratae quoad vota publica. Suggestio placet Consultoribus.

Can. 61 (CIC 1310)

Votum non obligat, ratione sui, nisi emittentem.

— De sententia cuiusdam Organi consultationis addi debet § 2 circa transitum obligationis voti realis ad heredes, itemque obligationis voti mixti pro parte quae realis est. Agitur enim de obligatione morali quae transit ad heredes non ratione ipsius voti sed ratione promissionis.

Consultor quidam negat fundamentum huius suggestionis, quia videtur incongruum quod transeat ad heredes obligatio, quam quis contraxit in foro conscientiae coram Deo; quodsi vovens obligare intendat heredes exprimere id potest in suo testamento.

Alius Consultor vero censet obligationem moralem voti realis transire ad heredes, illam autem non convenit lege urgere, attento hodierno contextu saecularizationis. Canon manet uti est.

Can. 62 (CIC 1311)

Cessat votum lapsu temporis ad finiendam obligationem appositam, mutatione substantiali materiae promissae, deficiente conditione a qua votum pendet aut eiusdem causa finali, suspensione, dispensatione, commutatione.

— Expungi debet ex hoc canone verbum « suspensione », quia in casu suspensionis votum non cessat, sed tantum eius effectus suspenduntur. Ita censent omnes Consultores.

Can. 63 (CIC 1312)

Qui potestatem in voti materiam habet, potest voti obligationem tandiu suspendere, quandiu voti adimplementum sibi praeiudicium afferat.

— Suggestum est ab aliquibus ut repristinetur norma can. 1312 § 1. Consultores vero censent opportune illam normam suppressam fuisse, quia aequum non videtur ut qui potestatem dominativam legitime exercent de voventis voluntate disponant usque ad ipsam irrationem voti, ita ut nullo in casu obligatio postea reviviscat.

Can. 64 (CIC 1313)

Vota privata possunt iusta de causa dispensare, dummodo dispensatio ne laedat ius aliis quaesitum:

1° loci Ordinarius quod attinet ad omnes suos subditos atque etiam peregrinos;

2° moderator Instituti clericalis vitae consecratae iuris pontificii quod attinet ad personas, quae diu noctuque in domo Instituti degunt;

3° ii quibus ab Apostolica Sede delegata fuerit dispensandi potestas.

— Suggestum est ut praemittatur norma circa auctoritatem competentem ad dispensationem a votis publicis. Consultor quidam respondet de hac quaestione normas haberi in iure de Institutis vitae consecratae.

— Nonnulli proposuerunt ut facultas de qua in n. 1 concedatur etiam parochis et confessariis.

Omnes Consultores concordantes sunt ut concedatur parochis; quoad confessarios autem duo Consultores volunt talem facultatem ipsis concedere, alii Consultores sunt contrarii.

— In n. 2 addi debet « ... quod attinet ad professos, novitios atque personas ... ». Ita censent omnes Consultores.

— Consultor quidam proponit ut in n. 3 addatur « ii quibus ab Apostolica Sede vel ab Ordinario loci delegata ... ». Propositio omnibus Consultoribus placet.

Can. 65 (CIC 1314)

Opus voto privato promissum potest in melius vel in aequale bonum ab ipso vovente commutari; in minus vero bonum ab illo cui potestas est dispensandi ad normam can. 64.

— Suggestum est ut dicatur « maius » loco « melius ». Suggestio omnibus Consultoribus placet.

Can. 66 (CIC 1315)

Vota ante professionem religiosam emissa suspenduntur, donec vovens in Instituto vitae consecratae permanserit.

— De hoc canone non factae sunt animadversiones.

Adunatio diei 31 ianuarii 1980

CAPUT II

DE IUREIURANDO

Can. 67 (CIC 1316)

§ 1. *Iusiurandum, idest invocatio Nominis divini in testem veritatis, praestari nequit, nisi in veritate, in iudicio et in iustitia.*

§ 2. *Iusiurandum quod canones exigunt vel admittunt, per procuratorem praestari valide nequit.*

— De hoc canone non factae sunt animadversiones.

Can. 68 (CIC 1317)

§ 1. *Qui libere iurat se aliquid facturum, peculiari religionis obligatione tenetur implendi quod iureiurando firmaverit.*

§ 2. *Iusiurandum per vim aut metum gravem extortum valet, sed a Superiore ecclesiastico relaxari potest.*

§ 3. *Iusiurandum nec vi nec dolo praestitum quo quis privato bono aut favori renuntiat lege ipsi concesso servandum est.*

— Suggestum est ut in § 2 dicatur « et iniuste extortum ». Consultores censent talem additionem non esse necessariam, quia verbum « extorquere » implicat aliquam iniustitiam.

— Nonnullis magis congruum videtur ut iuramentum de quo in § 2 nullum declaretur. Suggestio haec placet Consultoribus.

— Aliqui proposuerunt ut nullum declaretur etiam iuramentum *per dolum* extortum. Haec suggestio placet Consultoribus.

His dictis, § 2 ita redigitur: « Iusiurandum dolo, vi aut metu gravi extortum ipso iure nullum est ».

— Duo Consultores proponunt ut deleatur § 3, quia norma obvia est et deduci potest faciliter ex principiis generalibus. Etiam alii Consultores concordant ut § 3 deleatur.

Can. 69 (CIC 1318)

§ 1. *Iusiurandum promissorium sequitur naturam et conditiones actus cui adiicitur.*

§ 2. *Si actui directe vergenti in damnum aliorum aut in praeiudicium boni publici iusiurandum adiciatur, nullam exinde actus consequitur firmitatem.*

— De sententia cuiusdam Consultoris § 2 deleri potest, quia non est nisi explicatio quaedam § 1. Ideo fit suffragatio an placeat delere § 2: placet 1, non placet 5.

— Suggestum est ut in § 2 repristinetur integra clausula « ... in praeiudicium boni publici *vel salutis aeternae* ». Fit suffragatio an placeat haec suggestio: placet 4, non placet 2.

Can. 70 (CIC 1319)

Obligatio iureiurando promissorio inducta desinit:

1° *si remittatur ab eo in cuius commodum iusiurandum emissum fuerat;*

2° *si res iurata substantialiter mutetur, aut, mutatis adiunctis, fiat sive mala sive omnino indifferens, aut denique maius bonum impediat;*

3° *deficiente causa finali aut conditione sub qua forte iusiurandum datum sit;*

4° *suspensione, dispensatione, commutatione, ad normam can. 71.*

— In n. 4 deleri debet verbum « suspensione ». Ita censent omnes Consultores.

Can. 71 (CIC 1320)

Qui suspendere, dispensare, commutare possunt votum, eandem potestatem eademque ratione habent circa iusiurandum promissorium; sed si iurisiurandi dispensatio vergat in praeiudicium aliorum qui obligationem remittere recusent, una Apostolica Sedes potest iusiurandum dispensare propter necessitatem aut utilitatem Ecclesiae.

— Consultor quidam proponit ut deleantur verba « propter necessitatem aut utilitatem Ecclesiae ». Suggestio placet aliis Consultoribus.

— Suggestum est ut dicatur « rescindere » loco « suspendere ». Consultores vero non ita sentiunt, quia in can. 63 adhibetur verbum « suspendere ».

Can. 72 (CIC 1321)

Iusiurandum stricte est interpretandum secundum ius et secundum intentionem iurantis, aut, si hic dolo agat, secundum intentionem illius cui iuratur.

— Suggestum est ab aliquo Organo consultationis ut deleantur verba « aut si hic dolo agat, secundum intentionem illius cui iuratur », quia tale iuramentum est invalidum. Consultores non idem sentiunt et ideo canon manet uti est.

* * *

Deinde Consultores aggrediuntur quaestionem de lacunis huius Schematis implendis. Ipsi enim censent necessarias esse quasdam normas circa altaria, quae peculiarem rationem disciplinarem induunt, quaeque remitti non possunt in libros liturgicos.

Consultor quidam praebet aliis Consultoribus hoc schema canonum de altaribus, quod ipse, ex commissione ipsius Coetus, rededit:

Can. 1

§ 1. Altare, seu mensa super quam Eucharistia celebratur, *fixum* dicitur, si ita extruatur ut cum pavimento cohaereat ideoque amoveri nequeat; *mobile* vero si transferri possit (IGMR nn. 260-261; ODEA cap. IV, n. 6; cap. VI, n. 1).

§ 2. Expedit in omni ecclesia altare fixum inesse; ceteris vero locis, sacris celebrationibus destinatis, altare fixum vel mobile (ODEA cap. IV, n. 6).

Can. 2

§ 1. (Iuxta traditum Ecclesiae morem) mensa altaris fixi sit lapidea et quidem ex (unico) lapide naturali; attamen etiam alia materia digna et solida, de iudicio Conferentiae Episcopalis, adhiberi potest. Stipites vero seu basis ex qualibet materia (dummodo sit digna et solida) confici possunt (CIC can. 1198 §§ 1-2; IGMR, n. 263; ODEA cap. IV, n. 9).

§ 2. Altare mobile (ex qualibet materia ...) ex quibuslibet materiis, usui liturgico congruentibus, exstrui potest (IGMR, n. 264; ODEA cap. VI, n. 2).

§ 3. In novis altaribus erigendis (praeterea) liturgicae leges servantur (ODEA cap. IV, nn. 6-11; cap. VI, nn. 1-7).

Can. 3

§ 1. Altaria fixa dedicanda sunt, mobilia vero dedicanda aut benedicenda, iuxta ritus in liturgicis libris praescriptos (IGMR n. 265; ODEA cap. VI, n. 1).

(§ 2. Antiqua traditio Martyrum aliorumque Sanctorum reliquias sub altari fixo condendi opportune servetur iuxta normas in libris liturgicis traditas. Cfr. IGMR n. 266; ODEA cap. IV, nn. 5 et 11; cap. VI, n. 3).

Can. 4

§ 1. Salvo praescripto can. 6 (quater), altare dedicationem vel benedictionem amittit si mensa ita frangetur ut iam adhiberi nequeat nisi penitus restaurata sit (CIC can. 1200 § 2, 1).

§ 2. Exsecratio ecclesiae vel alius loci sacri non secumfert exsecrationem altaris sive fixi sive mobilis (CIC can. 1200 § 4).

Can. 5

§ 1. Altare tum fixum tum mobile divino dumtaxat cultui reservandum est, quolibet profano usu prorsus excluso (CIC can. 1200, § 1).

§ 2. Subtus altare nullum sit reconditum cadaver; secus Missam super illud celebrare non licet (CIC can. 1202, § 2).

Ante omnia fit quaestio inter Consultores utrum isti canones collocari debeant sub titulo distincto, in Sectione de locis sacris. Fere omnes Consultores censent altaria esse loca sacra et volunt ut isti canones ponantur tamquam Tit. IV, post Tit. de Sanctuariis. Unus Consultor vero censet altaria non esse « loca sacra », quare isti canones non collocari deberent in titulo distincto, sed inseri possent in titulo de ecclesiis.

Deinde examinantur singuli canones:

De can. 1

Quoad can. 1 habetur animadversio cuiusdam Consultoris, qui in lucem ponere vult non solum notionem altaris uti « mensa » convivii sed etiam uti « ara » sacrificii. Cum suggestio haec placeat Consultoribus, § 1 ita emendatur: « Altare, seu mensa super quam sacrificium eucharisticum celebratur ... ».

De can. 2

Consultores censent § 3 esse inutilem, quare unanimiter ita canonem redigunt:

« § 1. Iuxta traditum Ecclesiae morem mensa altaris fixi sit lapidea et quidem ex unico lapide ... Stipites vero seu basis ex qualibet materia confici possunt.

§ 2. Altare mobile ex qualibet materia solida, usui liturgico congruenti, extrui potest ».

De can. 3

— Consultor quidam proponit ut quoad altaria mobilia admittatur tantum benedictio, non dedicatio. Sed aliis Consultoribus placet § 1 prout est.

— Proponente aliquo Consultore, expungitur ex § 2 verbum « opportune ».

De can. 4

— Duo Consultores censent § 1 deleri posse quia etiam quoad altaria valet norma can. 6 quater, quae agit de amissione dedicationis vel benedictionis locorum sacrorum. Alii duo Consultores vero vellent formulam propositam retinere, attento peculiari symbolismo lapidis *unici* altaris, qui evanescit per laesionem lapidis.

Tertius Consultor proponit ut § 1 ita redigatur: « Altare dedicationem vel benedictionem amittit ad normam can. 6 quater ».

Fit suffragatio an placeat haec formula: placet 4, non placet 2.

De can. 5

Formula can. 5 placet uti est.

Adunatio diei 2 februarii 1980

Huic adunationi praest Cardinalis Praeses.

Examine ac recognitione schematis peractis, Consultores quaestionem examinant de inscriptione Libri IV et de ordinatione systematica materiae totius Libri IV.

Quoad inscriptionem « De Ecclesiae munere sanctificandi » animadversiones quidam fecerunt eo quod talis inscriptio extollit munus Ecclesiae erga homines magis quam munus Deum colendi. Qua de causa duobus Consultoribus magis placeret inscriptio « De cultu divino » vel « De munere sacerdotali Ecclesiae ».

Alius Consultor praeferit inscriptionem « De Ecclesiae munere sanctificandi », quia materia totius Libri IV attinet modo praevalenti ad aspectus sanctificationis hominum.

Etiam alii duo Consultores praeferunt inscriptionem « De Ecclesiae munere sanctificandi », quamvis admittant momentosas esse rationes pro inscriptione « De cultu divino ».

Tertius Consultor censet hanc quaestionem pendere sive ex materia praevalenti totius libri, sive etiam ex criteriis quae sequi intendit Coetus de ordinatione systematica totius Codicis, praesertim quod attinet ad tripartitionem materiae secundum triplicem munus Ecclesiae, munus scilicet regendi, docendi et sanctificandi.

His dictis, Consultores remittunt definitionem huius quaestionis ad Coetum « De ordinatione systematica Codicis ».

Quoad ordinationem systematicam totius materiae Libri IV, Consultores concordant ut illa disponatur sub tribus sectionibus, scilicet:

Sectio I: De sacramentis

Sectio II: De ceteris actibus cultus divini

Sectio III: De locis et temporibus sacris.

Consultor quidam vellet ut etiam in inscriptione Sect. I innuatur munus Ecclesiae peragendi divinum cultum; sed alius Consultor censet id indirecte fieri ex eo quod inscriptio Sect. II dicat « de *ceteris* actibus cultus divini ».

Tertius Consultor proponit ut canones praeliminares, qui initio totius Libri IV poni debent, propriam rubricam habeant, quae sit « De cultu divino in genere ».

Post brevem discussionem, Consultores hanc ordinationem systematicam materiae proponunt:

Lib. IV: De Ecclesiae munere sanctificandi

Canones praeliminares

Sectio I: De sacramentis

Sectio II: De ceteris actibus cultus divini

— Tit. I: De sacramentalibus in genere

— Tit. II: De exequiis ecclesiasticis

— canon generalis = can. 28 Schematis

Cap. I: De exequiarum celebratione

Cap. II: De iis quibus exequiae ecclesiasticae concedendae aut denegandae sunt

— Tit. III: De cultu sanctorum, sacrarum imaginum et reliquiarum

— Tit. IV: De voto et iureiurando

Cap. I: De voto

Cap. II: De iureiurando

Sectio III: De locis et temporibus sacris

— Tit. V: De locis sacris

Canones praeliminares

Cap. I: De ecclesiis

Cap. II: De oratoriis et sacellis privatis

Cap. III: De sanctuariis

Cap. IV: De altaribus

Cap. V: De coemeteriis

— Tit. VI: De temporibus sacris

Canones praeliminares

Cap. I: De diebus festis

Cap. II: De diebus paenitentiae

Exc.mus Secretarius Commissionis, rogat Consultores ut examinent et recognoscant Schema aliquod canonum De Sacramentalibus, quod nondum recognitum fuit.

Consultoribus transmissus fuit ante tempus sequens textus canonum, ita ut in praesenti Sessione recognitio fieret.

En textus canonum:

Can. 1 (CIC 1144)

Sacramentalia sunt res aut actiones, quibus, in aliquam Sacramentorum imitationem, Ecclesia utitur ad effectus praesertim spirituales qui eis significantur ex sua impetratione obtinendos (Cf. Const. *Sacro-sanctum Concilium*, n. 60).

Can. 2 (CIC 1145)

Nova Sacramentalia constituere aut recepta authentice interpretari, ex eisdem aliqua abolere aut mutare, sola potest Sedes Apostolica.

Can. 3 (CIC 1146)

Sacramentalium minister est clericus debita potestate instructus et iure non prohibitus; quaedam Sacramentalia, ad normam Librorum liturgicorum, saltem in specialibus adiunctis et de iudicio Ordinarii, a laicis quoque, congruis qualitatibus praeditis, administrari possunt (Const. *Sacro-sanctum Concilium*, n. 79; Instructio de Sacra Liturgia, 26 sept. 1966, n. 77).

Can. 4 (CIC 1147)

§ 1. Consecrationes valide peragere possunt qui caractere episcopali insigniti sunt necnon presbyteri quibus iure vel apostolico indulto id permittitur.

§ 2. Benedictiones impertire possunt quilibet presbyter et diaconus, iis exceptis quae Romano Pontifici au Episcopis reservantur.

§ 3. Christifideles laici illas tantum valide et licite benedictiones dare possunt, quae ipsis expresse iure permittuntur.

Can. 5 (CIC 1149)

Benedictiones, imprimis impertiendae catholicis, dari possunt catechumenis quoque, immo, nisi obstet Ecclesiae prohibitio, etiam non catholicis ad obtinendum fidei lumen vel, una cum eo, corporis sanitatem.

Can. 6 (CIC 1150)

Res consecratae, vel benedictae constitutiva benedictione, reverenter tractentur nec ad usum profanum vel non proprium adhibeantur, etiamsi in dominio privatorum sint.

Sequentes animadversiones de his canonibus factae sunt:

De can. 1

Suggestum est ut formula canonis ita redigatur: « Sacramentalia sunt signa sacra, quibus, in aliquam sacramentorum imitationem, effectus praesertim spirituales significantur et ex Ecclesiae impetratione obtinentur ».

Haec redactio omnibus Consultoribus placet, quia hic textus magis conformis est textui Const. *Sacrosanctum Concilium*, n. 60.

De can. 2

Ex suggestionem facta ab aliquo Organo consultationis, Consultores volunt addere § 2 ita redactam: « In sacramentalibus conficiendis seu administrandis accurate servantur ritus et formulae ab Ecclesia probata ».

De can. 3

Unus Consultor censet can. 3 esse superfluum, cum sufficiat norma canonis sequentis, qua statuitur competentia quoad sacramentalia. Alii Consultores vero volunt retinere can. 3, quia continet enuntiationem principii, quod utile videtur ad vitandos abusos.

— Consultoribus placet suggestio supprimendi verba « saltem in specialibus adiunctis ».

De can. 4

— Suggestum est ut initio § 1 dicatur: « Sacramentalia quaedam sollemniora, uti sunt consecratio virginum, dedicatio ecclesiae vel altaris et alia huiusmodi ... ». Suggestio non placet Consultoribus, quia in textu iuridico vitari debent exempla et explicationes inutiles.

— Consultor quidam proponit ut dicatur « Episcopi » loco « qui caractere episcopali insigniti sunt ». Suggestio non placet aliis Consultoribus.

Deinde fit suffragatio an placeat § 1 uti est: placet 5, non placet 1.

— Nonnulli conquesti sunt eo quod in § 2 presbyteri et diaconi aequiparentur quoad benedictiones impertiendas. Ipsi enim opportunum videtur ut in praesenti canone nihil dicatur de laicis, cum sufficiat enuntiatio principii in canone praecedenti facta. His de causis proposuerunt ut §§ 2-3 ita redigantur:

« § 2. Benedictiones, exceptis iis quae Romano Pontifici aut Episcopis reservantur, impertire potest quilibet presbyter.

§ 3. Diaconi illas tantum benedictiones impertire possunt quae ipsis expresse iure permittuntur ».

Haec suggestio omnibus placet.

De can. 5

— Suggestum est ut deleantur verba « dari quoque possunt catechumenis », quia, ut docet Const. *Lumen Gentium*, n. 14, catechumeni voto coniunguntur cum Ecclesia et ideo benedictiones dari ipsis possunt quin expresse dicatur. Consultores vero censent ex silentio non argui posse de facultate impertiendi benedictiones catechumenis; oportet enim in singulis casibus statuere in lege quid dari possit catechumenis vi ipsorum coniunctionis ex voto cum Ecclesia.

— Consultor quidam delere vellet verba « ad obtinendum fidei lumen vel, una cum eo, corporis sanitatem ». Alii Consultores autem volunt haec verba retinere, ita ut benedictiones pro non catholicis ad illos tantum casus limitentur.

De can. 6

Ex suggestionem facta ab aliquo Organo consultationis, Consultoribus placet ita formulam canonis mutare: « Res sacrae, quae dedicatione vel benedictione ad divinum cultum destinatae sunt, reverenter tractentur ... ».

De can. 7

— Suggestum est ut expungantur ex § 1 haec verba « potestate exorcizandi praeditus ». Suggestio omnibus placet.

— In § 2 addi debet: « ... pietate, scientia, prudentia ... »; ita decernunt omnes Consultores (F. VOTO, *Actuarius*).

